


Google


HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.



DE FUTURI EXACTI USU PLAUTINO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

THEOPHILUS MEIFART

COBURGENSIS

IENAE

TYPIS NEUENHAHNI

MDCCCLXXXV

§ 1.

De usu futuri exacti, qualis apud Plautum fuerit, difficilis est disputatio: in quo campo iam doctissimi viri, velut Madvigius [1]), Hermannus [2]), Luebbertus [3]) desudaverunt. Nec est simplex quaestio, sed plures simul concurrunt, ex quibus unam mihi iterum tractandam proposui, quae est de usu futuri exacti in enuntiatis primariis. Qua in re ne quid dubii relinquatur ab exemplis primae personae profectus sum, ubi de coniunctivi perfecti formarum concursu cogitari nequeat. Ac primum quidem exempla Plautina, quibus futurum exactum in enuntiatis primariis exstet, enumerabo [4]).

1. *Amph.* 52. Quid contraxistis frontem? quia tragoediam Dixi futuram hanc? Deus sùm, *conmutavero.* Eandem hanc, si voltis, f a c i a m ego ex tragoedia Comoedia

1) Madvig: 'De formarum quarundam verbi Latini usu et natura disputatio'. Expressa est haec commentatio in Io. Nic. Madvigii opusculorum academicorum libro II. p. 60—129.

2) G. Hermann: 'De Io. Nic. Madrigii interpretatione quarundam ver bi latini formarum'. Quae scriptiuncula exstat in G. Hermanni opusculorum libro II. p. 416—32.

3) Luebbert: 'Der Conjunctiv Perfecti und das Futurum exactum im aelteren Latein'. Breslau 1867.

4) Alius quam primae personae ea solum exempla attuli, quibus Madvigius ipse usus est.

ut sit. — 2[1]). *ibid. 929.* Iuben me ire comites? Sanan es? Si non iubes Ibo egomet: comitem mihi pudicitiam *duxero* [2]). — 3. *ibid. 999.* Capiam coronam mi in caput, adsimulabo me esse ebrium Atque illuc sursum escendero: inde optume aspellam virum De supero, quom huc accesserit: faciam ut sit madidus sobrius. — 4. *As. 280.* Eros in obsidione linquet, inimicum animos *auxerit.* — 5. *ibid. 326.* Placide ergo unum quidquid rogita, ut adquiescam. non vides Me ex cursura anhelitum etiam ducere? LI. Age, age, *mansero* Tuo arbitratu, vel adeo usque dum peris. — 6. *ibid. 439.* Sic *dedero:* prius quae credidi, vix anno post exegi. — 7. *ibid. 446.* Perii hercle! iam hic me *abegerit* suo odio. — 8. *ibid. 705.* Inscende actutum. LI. Ego *fecero.* em, quid istuc est? ut tu incedis? — 9. *Aul. 569.* Potare ego hodie hic, Euclio, tecum volo. E. Non quod potem ego quidem hercle habeo. ME. At ego *iussero* Cadum unum vini veteris a me adferrier. — 10. *ibid. 665.* Attat foris crepuit: senex eccum aurum ecfert foras. Tantisper huc ego ad ianuam *concessero.* — 11. *Bacch. 48.* Atque is dum veniat, sedens ibi opperibere. Eadem biberis, eadem *dedero* tibi, ubi biberis, savium. — 12. *ibid. 209.* Immo, Chrysale, em non tantulum Umquam intermittit tempus, quin eum nominet. Tanto hercle melior. PI. Immo. CH. Immo hercle *abiero.* — 13. *ibid. 362.* Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo. *Aufugero* hercle, si magis usus venerit. — 14. *ibid. 774.* Atque hic quidem, opinor, Chrysalust.

1) Amph. 198. *Si dixero mendacium, solens meo more fecero.* Quod exemplum propterea omisi quod etiam in protasi futurum exactum exstat.

2) Ita libri, quamvis versu corrupto. Neque tamen vitium in fine latere dixerim.

CH. *Accessero.* — 15. *ibid. 1066.* Cedo, si necessest. Cura hoc. iam ego huc *revenero.* — 16. *Capt. 192.* Ibo intro atque intus subducam ratiunculam, Quantillum argenti mi aput tarpessitam siet. Ad fratrem, quo ire dixeram, mox *ivero.* (*iero* codd). — 17. *ibid. 293.* Sequere hac me igitur, eadem ego ex hoc quae volo *exquisivero.* — 18. *ibid. 340.* Verum, te quaeso, aestumatum hunc mihi des, quem mittam ad patrem, Ut is homo redimatur illi. HE. Immo alium potius *misero* Hinc, ubi erunt indutiae. — 19. *ibid. 494.* Is diem dicam, inrogabo multam, ut mihi cenas decem Meo arbitratu dent, quom cara annona sit. sic *egero.* Nunc ibo ad portum hinc. est illic mi una spes cenatica: Si ea devolabit, redibo huc ad senem ad cenam asperam. — 20. *Cas. 192.* Et sitellam huc tecum afferto cum aqua et sortis. CH. Sat placet, Ego pol istam iam aliquovorsum tragulam *decidero.* Nam si sic nihil impetrare potero, saltem sortiar. — 21. *ibid. 441.* Nil moror: molesta ei esse nolo. post *convenero.* — 22. *ibid. 509.* Abi et aliud cura. ego iam per hortum *iussero* Meam istuc transire uxorem ad uxorem tuam. — 23. *ibid. 648.* Si sapitis, uxor, vos tamen cenabitis, Cena ubi erit cocta: ego ruri *cenavero*: Nam novom maritum et novam nuptam volo Rus prosequi. — 24. *ibid. 653.* Sed properate istum atque istam actutum emittere, Tandem ut veniamus luci: ego cras hic ero. Cras habuero, uxor, ego tamen convivium. — 25. *ibid. 724.* Nunc praesidium hic Pardalisca, esto: qui hinc exeat, eum ut ludribio habeas. Lubens *fecero* et solens. — 26. *ibid. 804.* Redi sis in cubiculum: periisti hercle, age accede huc modo. Nunc ego tecum aequom arbitrum extra coniugem *captavero.* — 27. *Cist. 381.* (L. E. Benoist). Ubi estis servi? Occludite

aedis pessulis, repagulis. Ibo. Hanc ego *tetulero* intra limen. — 28. *Epid. 272.* Sicut cras hic aderit: hodie haut *venerit.* — 29. *ibid. 512.* Propera igitur fugere hinc, si te di amant. FI. *Abiero:* Flagitio cum maiore post reddes tamen. — 30. *ibid. 657.* Ego ad vos Thesprionem *iussero* Huc transire. sed memento, si quid saevibunt senes Suppetias ... ferre. — 31. *Men. 270.* Id utrumque, argentum quando habebo, *cavero,* Tu ne delinquas neve ego irascar tibi. — 32. *ibid. 423.* Neque ego illum maneo neque flocci facio, neque si venerit, Eum volo intro mitti. ER. Ecastor haut invita *fecero.* — 33. *ibid. 545.* Da sodes aps te: post ego *reddidero* tibi. — 34. *ibid. 670.* Si tibi displiceo, patiundumst: *placuero* huic Erotio, Quae me non excludet, ab se, set aput se occludet domi. — 35. *Merc. 372.* Id est profecto: verum actutum *abscesserit.* — 36. *ibid. 413.* Sed quid illa nunc fiet? DE. Recte: ego *emero* matri tuae Ancillam viraginem aliquam non malam, forma mala. — 37. 38. *ibid. 448.* Quiesce, inquam: istanc rem ego recte *videro.* CH. Quid ais? DE. Quid est? CH. Non ego illam mancupio accepi. DE. Sed ille illam accipiet: CH. Non potes tu lege vendere illam. DE. Ego aliquid *videro.* — 39. *ibid. 497.* Meliust, sanus si sis. CH. Vale, vince et me serva. EV. Ego *fecero.* — 40. *ibid. 546.* Certumst: antiqua recolam et servibo mihi: Breve iam relicuom vitae spatiumst: quin ego Voluptate, vino, amore id *delectavero.* — 41. *Mil. gl. 200.* Quaere: ego hinc *abscessero* aps te huc interim. illuc sis vide. — 42. *ibid. 863.* Quo te agis? LV. Missus sum alio. iam huc *revenero.* — 43. *Mort. 526.* Nil me currassis, inquam: ego mihi *providero.* — 44. *ibid. 589.* Multos me hoc pacto iam dies frustramini. Molestus si sum, reddite argentum, *abiero,*

Responsiones omnis hoc verbo eripis. — 45. *ibid. 686.* Euge, optume eccum huc aedium dominus foras Simo progreditur ipsus. huc *concessero*, Dum mihi senatum consili in cor convoco. — 46. *ibid. 920.* Hodie accipiat. TR. Ita enim vero: ne qua causa subsiet. Vel mihi denumerato: ego illi porro *denumeravero.* — 47. *ibid. 1006.* Haut postulo edepol. SI. Verum cras, nisi quis prius Vocaverit me, vel aput te *cenavero.* — 48. *ibid. 1038,* Fiat. TH. Servorumque operam et lora mihi cedo. SI. Sume. TH. Eadem ego opera haec intus tibi *narravero* Quis me hodie exemplis ille ludificatus est. — 49. *ibid. 1102.* Surgedum hinc. consulerest igitur quiddam quod tecum volo. TR. Sic tamen hinc consilium *dedero:* nimio plus sapio sedens. — 50. *ibid. 1143.* Sine medum istuc iudicare. surge: ego isti *adsedero.* — 51. *ibid. 1172.* Mitte, quaeso, istum. TH. (Illum ut mittam?) viden ut astat furcifer? CA. Tranio, si sapis, quiesce. TH. Tu quiesce hanc rem modo Petere: ego illum, ut sit quietus, verberibus *subegero.* — 52. *Persa. 49.* Amoris vitio, non meo nunc tibi morologus fio. SA. At pol ego aps te *concessero.* TO. Iamne abis? bene ambulato. — 53. *ibid. 135.* Tun' illam vendas? TO. Immo alium *adlegavero* Qui vendat, qui esse se peregrinum praedicet. — 54. *ibid. 185.* Aio enimvero. TO. Quid ego dixi? PAE. Ego recte aput illam *dixero.* — 55. *ibid. 249.* Quid istic scriptumst? Iuxta tecum, si tu nescis, nescio: Nisi fortasse blanda verba. 50. Abi: et ego *abiero.* PAE. Ambula. — 56. *ibid. 290.* Tandem ut liceat Quom servos sis, servom tibi male dicere. SA. Itane? specta, Quid *dedero*[1]. PAE. Nil: nam nil habes.

---

1) Etiam hoc exemplum ad enuntiata simplicia referre non dubito.

SA. Di deaeque me omnes perdant. — 57. *ibid. 574* I in malum cruciatum. TO. I sane, eme hanc atque ausculta mihi. DO. Modo sciam quanti indicet. TO. Vin huc vocem? DO. Ego illo *accessero.* — 58. *Poen. 434.* Si nequeo facere ut abeas, egomet *abiero.* — 59. *ibid. 857.* At onus urget. MI. At tu appone et respice ad me. SY. *Fecero.* — 60. *ibid. 982.* Adibo ad hosce atque appellabo Punice. Si respondebunt, Punice pergam loqui: Si non, tum ad horum mores *linguam vortero.* — 61. *ibid. 1285.* Pro maiore parte prandi pignus cepi, abii foras. Sic *dedero.* aere militari *tetigero* lenunculum — 62. *Pseud. 332.* Quid eo? PS. Lanios inde accersam duo cum tintinnabulis. Eadem duo greges inde ulmearum *adegero.* — 63. *ibid. 350.* Quin tu ted occidis potius? nam hunc fames iam *occiderit.* — 64. *ibid. 376.* Si tu argentum attuleris, cum illo *perdidero* fidem. — 65. *ibid. 476.* Edepol merito esse iratum arbitror Quom aput te tam parvast ei fides. SI. Iam sic sino Iratus sit: ego, ne quid noceat, *cavero.* — 66. *ibid. 573.* Tibicen vos interea hic *delectaverit.* — 67. *ibid. 629.* Tibi libellam argenti numquam credam. PS. Dum te strenuas, Res erat soluta. HA. Vinctam potius sic *servavero.* — 68. *ibid. 646.* Di bene vortant. at ego, quando eum esse censebo domi, *Rediero.* tu epistulam hanc a me accipe atque illi dato. — 69. *ibid. 721.* Hi sciunt, qui hic adfuerunt: vobis post *narravero.* — 70. *ibid. 751.* Set quid es acturus? PS. Dicam, ubi hominem exornavero Subditivom fieri ego illum militis servom volo: Sumbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis, Mulierem ab lenone abducat. em tibi omnem fabulam. Ceterum quo quicque pacto faciat, ipsi *dixero.* — 71. *Rud. 330.* Si videro *exquisivero;* faciet me

certiorem. — 72. *ibid. 779.* Abi modo: ego dum abes, ut abeat non sinam. TR. Huc *revenero.* — 73. *ibid. 788.* Quid ages, si accedent propius? LA. Ego *recessero.* — 74. *Stich. 351.* Cape illas scopas. GE. Capiam. PI. Hoc. egomet, tu hoc converre. GE. Ego fecero. — 75. *ibid. 592.* Edepol te vocem lubenter, si superfiat locus. GE. Quin tum stans *obstrusero* aliquid strenue. — 76. *ibid. 606.* Non tu scis, quantum afflictentur homines noctu hic in via? PA. Tanto plureis, qui defendant, ire advorsum *iussero.* — 77. *Trin. 60.* Nempe enim tu, credo, me imprudentem *obrepseris.* — 78. *ibid. 464.* Hercle quin dicam tamen: Nam si sic non licebit, luscus *dixero.* — 79. *ibid. 606.* Non credibile dicis. ST. At tu nullus edepol creduas. Si hoc non credis, ego *credidero.* CA. Quid? ST. Me nihili pendere. — 80. *ibid. 624.* Celeri gradu eunt uterque: ille reprehendit hunc priorem pallio. Haut ei euscheme astiterunt. huc aliquantum *apscessero.* Es lubido orationem audire duorum adfinium. — 81. *ibid. 655.* Omnia ego istaec quae tu dixti scio, vel *exsignavero:* Ut rem patriam et gloriam maiorum foedarim meum. — 82. *ibid. 709.* Quid tibi interpellatio aut in concilium huc accessiost? LE. Eodem pacto quo huc accessi, *apscessero.* — 83. *ibid. 1006.* Set quis hic est, qui huc in plateam cursuram incipit? Lubet observare, quid agat: huc *concessero.* — 84. *Truc. 546.* Verum abibo, quid ais? num tu non nevis, voluptas mea, Quo vocatus sum ire ad cenam? mox huc cubitum *venero*[1]). — 85. *ibid. 883.* Num quid vis? PH. Fac visas me. DI. Operae mi ubi erit, ad te *venero.* —

1) De futuri secundi forma constare videtur. *venero* Buggius; *inero* BCD; *iero* F; *ivero* Z; *rediero* Fleckeisen.

§ 2.

Exemplis ex Plauti comoediis congestis pergo ad rationem, qua difficultatibus interpretationis succurrere studuerunt viri docti. Et primum quidem Madvigius: 'Derivatur autem', inquit, 'omnis hic usus ex ea significatione ulterioris temporis momenti, quam inesse in futuro exacto diximus; eiusmodi enim momenti cogitatio non uno modo latenter animum subit'. Ab hac sententia profectus ulterius temporis momentum quomodo quamvis gradatim magis magisque obscuratum sit, appareat, exponit sex praeceptis hisce:

I. Primum igitur, quum vulgo futuro exacto significaretur effectus in re, quae commemoretur, simul inclusus, comici omnino in eventu fructure rei (etiam consequenti) praedicando illa forma verbi utuntur, quod in omni huiusmodi oratione finis actionis sic respicitur, ut actio in futuro praeterita menti obversetur. Sic Plautus. 31. Quibus in locis quam exiguo fine a futuro simplici distet exactum ex 4. intellegi potest [1]). — II. Deinde, ut fit analogia trahente, transfertur futurum exactum ad significandam rem non in altera inclusam, sed quae per se simul fieri possit; in quo praeteriti notio magis iam obscuratur, nisi quod haec alterius illius actionis et occasionis spatio absoluta fore videtur. Hoc genus frequens est in particula 'eadem' apud Plautum 11 17. 48. 62. — III. Proximum est, in quo apparet illa, quam

1) Exempla quae Madvigius nonnumquam integris verbis exscripsit repetere nolo, neque hic neque infra; satis habui numeris § 1, additis exempla denotasse.

solam fere grammatici sequuntur, celeritatis notatio vel rei paene iam ad exitum perductae, ut propter eam causam eo, quo iam dixi, modo finis actionis animo comprehendatur. Huiusmodi apud Plautum est: 7. 44. 51. 63. Itaque et promittentes et minantes hac forma utuntur, velut apud Plautum 35., saepe addito 'iam', etiam ubi evanescit paene rei absolutae cogitatio, ut 15. 20. 22. 42. Interdum quidem celeritatis significatio prorsus cedit affirmationi minantis. — IV. Ex ea, quam initio attigi, significatione rei, quae iam absoluta certo momento fore videatur, is oritur usus, quo futurum exactum ponitur de eo, quod quis interim, dum aliud quid fit, aliquantisper facit, etsi nulla subest significatio rei perficiendae, sed quod tamen actionis intra temporis spatium conclusae finis et ulterius tempus animo obversatur. Huius generis haec sunt: 10. 29. 41. 45. 66. 80. 83. — V. Paulo longius a prima origine discedit, omni fere praeteriti notione sublata ac ne absolutionis quidem nisi obscure retenta, futuri exacti usus in rei dilatione significanda; differtur tamen res in unum quoddam momentum temporis futuri, quod expletura est; et haec fere sola remanet notio seiuncti et transeuntis momenti et saepe ab alia actione pendentis. (Non utique inest significatio momenti 'celeriter' transituri, quod nonnulli videntur credere. Nam qui 'Post videro' dicit, is potius eius rei considerationem promitti non brevissimam das wird später betrachtet werden, zu betrachten sein). Saepe adduntur particulae 'mox' et 'post'. Exempla sunt 16. 21. 54. 68. 69. 70. 84. Coniuncta autem cum differendi notione est curae aut in alium aut in se transferendae, quo simul ea cura differtur. Nec ulla est causa, cur vulgo ad unum omnes grammatici hoc postremum et similia plurima apud omnes scriptores coniunctivo

mode (permissivo) dicta putent, adversante primae personae usu. Nemo enim legit: 'Ego viderim' id est, permitte, ut ego videam. — VI. Quod dixi de notione actionis futurae cum altera quodam modo connexae, id maxime in iis locis confirmatur, ubi de actione alteram subsequente futurum exactum dicitur, ut iam non modo praeteriti nihil in se habeat, sed ulterioris futuri loco sit. Huiusmodi haec sunt apud Plautum: 33. 46. 50. 60.' — His sex classibus quasi septimam addit his verbis: 'Atque haec de quibus hactenus dixi, ad certa genera sic revocari poterant, ut proprietas quaedam futuri exacti appareret, etsi tenendum est, adeo eam exiguam esse, ut, ommissa levi illa significationis inflexione, omnibus locis poni potuerit futurum simplex, quod infinitis locis plane similibus ponitur. Ac postremum quidem genus nescio an rectius exclusurus fuerim, quoniam illi loci perparvo discrimine et fortasse casu differunt ab iis, in quibus plane pro futuro simplici ponitur exactum. Huc enim sensim licentia et oblivio significationis temporis praeteriti excessit, sed, ut videtur, in prima tantum persona. Neque negari ullo modo potest, separatis, quos posui, locis et si qui similes sunt, magnum tamen relinqui numerum apud Plautum, nonnullos apud Terentium, in quibus nullum prorsus discrimen utriusque futuri appareat. cf. 2. 3. 5. 9. 14. 18. 19. 23. 24. 28. 30. 36. 39. 40. 43. 47. 49. 52. 53. 54. 55. 57. 58. 67. 71. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 81. —

§ 3.

Contra hanc Madvigii doctrinam paucis disputat Godofredus Hermannus loco supra commemorato; ex qua

disputatione quae huc spectant, subieci: (p. 428). 'Disserit a p. 66. de futuro exacto in 'ro' ex eunte, cuius usum, quum in sex generibus sententiarum persecutus esset, multis in Plauti, nonnullis in Terentii locis nullum prorsus ait discrimen utriusque futuri apparere. In eo idem, quem modo tetigi, error latet. Nam ubi nihil interest, quo modo aliquid dicatur, liberum quidem est, quem modum quis praeferat, sed ipsi tamen modi retinent naturam suam, manentque diversi. Ut illud, cuius mentionem feci apud Cic. in Verr. III. § 145. 'nisi ita res manifesta erit allata, ut responderi nihil possit, vicimus.' Licebat id dicere 'vicerimus' et 'vincemus.' Quo ex his tribus uteretur, ad veritatem sententiae nihil intererat: eo tamen non tollitur discrimen, quod inter haec verbi tempora intercedit, sed pro eo discrimine aliud alio alacrius et fortius est.' Quae verba cum non tam demonstrantis quam opinantis essent, non mirandum est, quod plerique virorum doctorum Madvigii praecepta sequi maluerunt. Velut Ussingius, discipulus Madvigii, compluribus commentarii locis, Lorenzius, eiusdem disciplinae alumnus, Brixius, comoediarum Plautinarum editor notissimus, alii. Lorenzius de hac re egit in adnotatione ad Most. 590.[2]: Abiero: dann werde ich *sogleich* fortgehen. Eine der häufigsten freieren Anwendungen des Futurum exactum, um dasjenige zu bezeichnen, was *schnell* gethan sein wird, oft mit dem Nebenbegriff einer Versicherung (Bacch. 1066. As. 446. Mgl. 863. Ps. 350) oder einer Drohung (1174. Ter. Heaut. 108. Cas. I, 4, 18). Eine zweite ist die zur Bezeichnung eines künftigen Resultats (von dem was geschehen sein wird z. B. 1113.); eine dritte ist die zur Bezeichnung eines *Aufschubes,* besonders mit *mox* (Capt. 194)

und *post* (Ps. 721). Von allen diesen hauptsächlich der täglichen Umgangssprache angehörenden Eigenthümlichkeiten haben sich auch in der ausgebildeten Schriftsprache Spuren erhalten: (z. B. das *ceperit* Liv. XXV, 38, 17; *reddiderit* Cic. pro Sull. 32, 90; *praestitero* Caes. 6. G. IV, 25; Cic. finn. III, 4, 14); von einem Aufschube öfters videro. Noch zwei andere freie Anwendungen s. 687 [1]) und 1039 [2]); an etwa 35 Plautinischen und 4 Terenzischen Stellen aber steht die erste Person Sing. des Fut. exactum ganz wie die des Futurum simplex: 526, 921, 1007, 1103, 1143; öfter findet sie sich auch mit einer oder mehreren solchen parallel gestellt. St. 351, Amph. 998 sqq., Capt. 495 sqq., Rud. 330, 788 u. a.; bei späteren Dichtern ist dies höchst selten.'

Quid Brixius sentiat, qui scire cupit, adeat adnotationem ad Capt. 293. Quamquam in singulis quibusdam et Brixius et Lorenzius discrepant; velut Lorenzius Most. 1134. (ego isti ad sedero) cum futuro simplici componit, etsi Madvigius sexto praecepto subiunxerat, et Brixius Capt. 293. 341.

---

1) Exstant haec: 'concessero: häufigere Anwendung des Futurum exactum zur Beseichnung desjenigen, was jemand unterdessen, während etwas anderes geschieht, eine Weile thun wird (gethan haben wird) in der hier vorkommenden Phrase (Trin. 1007. Ter. Heaut. 174. Aul. 666. mit tantisper) und in dem ganz ähnlichen huc aliquantum apscessero. Trin. 625. interim apscessero. Mgl. 200. tibicen vos interea hic delectaverit. Ps. 573. abiero. Epid. 515. Vgl. Cic. Att. V, 1, 3: tu invita mulieres: ego accivero pueros; de republ. I, 13, 20: concessero.'

2) Ad v. 1039 haec adnotata sunt: 'Das Futurum exactum steht in dieser Redensart (sc. eadem ... opera) auch Bacch. 49, Capt. 293, Ps. 333, und bezeichnet also, indem die Bedeutung des Praeteritum zurücktritt, eine Handlung, die zugleich mit einer andern, doch für sich selbst, ausgeführt werden wird; der Unterschied vom Futurum simplex (welches an den übrigen Stellen steht) ist nicht gross.'

Trin. 625. 1007. celeritatis notione insignes esse dicit, cum Madvigius aliter iudicasset. Similiter Ep. 512. (29) et Trin. 655. (81) de celeritate cogitat Lindemannus, ubi Madvigius eam respuit. Atque fatendum est non uno loco dubitari posse, quale explicandi genus adhibeas. Sic 5 quarto, 23, 24, 36, 43 quinto generi tribuere possis, quae septimo adsignat Madvigius et 44., quod ille tertii generis esse voluit, facile sexto addicas. Itaque non mirandum est, quod semel Madvigius ipse contra se facit exemplo 54 et quinto generi et septimo adsignato. Sed utut de singulis iudicabis, ratio universa hac argumentatione non diluitur.

§ 4.

Vidimus igitur ex Madvigii ratione circiter 35 locos simplicis futuri vim habere. Quod idem dicit sextum genus sese fortasse rectius exclusurum fuisse, illud certissimum esse iudico. Quis enim sibi persuadebit in his Poenuli versibus: *'Si respondebunt, Punice pergam loqui, Si non (sc. respondebunt) tum ad horum mores linguam vortero'* differentiam esse inter *pergam loqui* futurum atque *linguam vortero* futurum exactum? Eodem artificio usus ille 33 tractat; vix enim dicas quid intersit inter *'post ego reddidero tibi'* et *'ego post tibi reddam'* versu subsequenti, praesertim cum enuntiatorum conformatio tam similis sit, quam potest. De tertio exemplo (50). iam Lorenzius sanissimo iudicio iudicavit. Nam permulti versus sunt ubi simplex futurum prorsus pari sensu positum sit; ut loco modo tractato, porro Curc. 138 Tu ... *curato* .. ego tibi iam *adducam* ibid 454. *Sequere* hac ... te *absolvam*. Men. 1106. *Roga* ... *respondebo*.

Most. 1131. *Promitte* ... ego *ibo* pro te. Rud. 1007. Verbum etiam *adde* unum, iam ego in cerebro colaphos *abstrudam* tuo, alia multa. Quartum denique exemplum (46) ab illorum societate segregari vix poterit. Neque ipsum Madvigium sententiae suae tenacem fore, verba supra posita aperte indicant. Ita hoc sextum genus omittendum videtur.

Quintum Madvigii genus in eis exemplis versatur, quibus rei alicuius dilatio continetur. Cuius dilationis signum 'mox' et 'post' particulae sunt saepissime adiectae. In hoc genere vindicando Madvigius ut sagacissime ita artificosissime rem videtur instituisse: sed si eius rationem sequeremur mirum esset, quod tam pauca huius usus exempla apud Plautum exstarent. Congessi locos plurimos, ex quibus gravissimos subicere liceat. — Amph. 50. Nunc quam rem oratum huc veni primum proloquar: Post argumentum huius eloquar tragoediae. — ibid. 875. Hodie frustrationem iniciam maxumam. Post igitur demum faciam res fiat palam. As. 137. Posthac tibi Male quod potero facere, faciam. (*post hac* libri) ibid. 915. Poste demum huc cras adducam. Aul. 118. Postidea domum me rursum quantum potero recipiam. (*post idem* libri). ibid. 805. Postea intro hunc subsequar. Cas. 112. Mox ... tecum loquar. Merc. 664. Post ad praetorem ilico ibo. Merc. 781. Haec vasa aut mox aut cras iubebo aps te peti. Poen. 398. Mox dabo. ibid. 1230. Postea hanc amabo atque amplexabo. Rud. 86. Post id agam igitur (ita libri). ibid 568. Poste ibo lautum. ibid. 648. Postidea accumbam (*postea* libri). ibid. 932. Post animi causa mihi navem faciam. — Exemplo ex Persa petito *(ego recte apud illam dixero)* oppono hoc (Persa 745): *Quid me in ius vocas? SA. Illi apud praetorem dicam.* Quod pergit

Madvigius etiam differendae curae causa futurum exactum poni, simplex futurum in his repperi exemplis Madvigianorum persimilibus: Bacch. 97. Opsonabo ego: nam id flagitium sit, mea te gratia .. ibid 227. Abi intro: ego hic curato, tu intus dicito. ibid. 1153. Taceas ... ego quod dixi ecficiam. Epid. 601. Habe animum bonum, ego illam reperiam. ibid. 619. Habe animum bonum: .. ego te servabo. — Persa. 320. Ego reiciam: habe animum bonum. Pseud. 232. Nil curassis: liquido's animo. ego pro me et pro te curabo. — ibid. 733. Ego dabo, ne quaere aliunde. — Rud. 691. Sedete hic modo, ego hinc vos tamen tutabor. — Quibus exemplis alia addi possunt. Concedo non omnia esse prorsus paria, tamen nihil interest, utrum duo vel tria eximas. Ab his exemplis, si proficiscimur, certe id intellegimus, Madvigii rationem explicandi per se non esse necessariam; nam sententia simplex futurum admittit, futurum exactum autem simplicis vim habere posse ipse Madvigius auctor est. Sed haec hactenus, paulo post ad hanc quaestionem redibo. —

Transeunti mihi ad quartum Madvigii genus fere idem dicendum videtur, quod de quinto. Dicit enim futurum exactum poni de eo, quod quis interim, dum aliud quid fiat, aliquantisper faciat. Huic generi septem locos Plautinos addicit (10. 29.[1]) 41. 45. 66. 80. 83). Exempla simplicis futuri haec commemoro: Curc. 466. Dum hic egreditur foras, commonstrabo. Men. 439. Hoc ponam interim. Merc.

---

1) Addit Madvigius: 'etsi ibi non tam hoc dicit' 'abibo paulisper' quam hoc 'nunc abibo, sed post redibo'. Quod vix recte intellexit: de redeundo cur cogitetur, non assequor.

555. Nunc tamen interea ad med huc invisam domum. Most. 683. Ego hic tantisper, dum exis, te opperiar. ibid. 1094. Ego interim aram hanc occupabo. Poen. 417. Ego intus interim tuum exornabo vilicum. Truc. 209. Ego interim hic apud vos opperibor. ibid. 715. Ego interim hic (ita libri) ... praesidebo. — Exemplis autem quae sunt 'huc concessero' et similia oppono haec: Bacch. 610. Sed huc concedam. Cas. 330. At iam concedam huc: audio aperiri fores Hinc ex insidiis hisce ego insidias dabo. Epid. 103. Huc concedam. Most. 429. Concedam a foribus huc, hinc speculabor procul. ibid. 517. Accedam huc. Pseud. 414. Nunc huc concedam ut horum sermonem legam. Rud. 480. Accedam huc ad foris. — Haec exempla quomodo a 83. differant *(lubet observare quid agat, huc concessero)* non satis intellego. Itaque vix refutari poterit, qui contendat Madvigianae rationis necessitatem esse nullam, cum ubique simplicis futuri notio apta sit. —

In tertio genere celeritatis vel 'rei paene iam ad exitum perductae' notatio agitur. Exempla sunt 7. 44. 51. 63. De promittentibus et minantibus haec ponit exempla Plautina: 15. 20. 22. 35. 42. Exempla simplicis futuri eadem notione insignis profero haec: Amph. 348. Ego tibi iam hodie scelestam comprimam linguam. ibid. 381. Etiam muttis? iam tacebo. ibid. 543. Abi prae, Sosia. Iam ego sequar. ibid. 556. Iam quidem hercle ego tibi istam Scelestam, scelus, linguam abscidam. ibid. 779. Quem ego iam hic convincam palam. ibid. 860. Iam ex Naucrate id cognato cognoscam meo. ibid. 1030. Quem pol ego hodie ob istaec dicta faciam ferventem flagris. As. 607. Apud Orcum te videbo: Nam equidem me iam quantum potest a

vita abiudicabo. Aul. 188. Anus hercle huic indicium fecit de auro ... Quoi ego iam linguam praecidam atque oculos effodiam domi. ibid. 573. Ego te hodie reddam madidum; si vivo probe. ibid. 659. Iam interstringam gulam. ibid. 712. Attat: eccum ipsum: ego ibo, ut me condam domum. ibid. 759. Iam quidem hercle te ad praetorem rapiam. ibid. 678. Iam ego illuc praecurram atque inscendam aliquam in arborem. Bacch. 94. Ego sorori meae hodie cenam dare volo viaticam: Eo tibi argentum iubebo iam intus ecferri foras. Bacch. 357. Quas ego hic turbas dabo. ibid. 701. Emungam hercle hominem probe hodie. ibid. 766. Dorsabo ego illunc hodie, si vivo, probe. ibid. 1172. Ni abeas, quamquam tu bella's, malum tibi magnum dabo iam. Cas 536. Iam tibi istuc cerebrum dispercutiam. ibid. 800. Hac dabo protinam me et fugiam. Curc. 138. Tu curato me ne sitiam: ego tibi quod amas iam huc adducam. Men. 174. Mitti tibi atque illi iubebo iam adparari prandium. ibid. 431. Iam sequar te. ibid. 729. Ne istuc mecastor iam patrem accersam meum. ibid. 754. Gradum proferam, progrediri properabo. ibid. 844. Ibo, adducam, qui hunc hinc tollant. ibid. 666. Properabo ad forum. ibid. 875. Ibo atque accersam medicum iam quantum potest. ibid. 903. Quem ego hercle hominem, si quidem vivo, vita iam evolvam sua. ibid. 1037. Id ego tibi iam huc adferam. Mil. 537. Pulchre admonuisti. iam ego ad te exibo foras. ibid. 1353. Ito cito: iam ego adsequar vos. ibid. 1379. Ego iamiam convenam illunc (ita Ritschelius). Most. 1114. Iam ignem et sarmen tibi iubebo circumdari. Persa 324. Atque omne ego argentum tibi hoc actutum incolume redigam. ibid. 405. Curate isti intus: iam ego domum me re-

cipiam. ibid. 609. Concede istuc: iam ego illam adducam. ibid. 794. At tibi ego continuo cyatho oculum hoc excutiam tuum. Poen. 494. Colaphis quidem hercle tuom iam dilidam caput. ibid. 1152. Quos ego iam detrudam ad molas. ibid. 1302. Iam hercle ego illunc excruciandum totum carnufici dabo. Ps. 358. Numquam ad praetorem aeque cursim curram. ibid. 382. Exossabo ego illum simulter itidem ut muraenam coquos. ibid. 200. Item hodie constringam ad carnarium. ibid. 1159. Iam revortar ad te. Rud. 447. Et tua et tua huc ornatus reveniam ex sententia. ibid. 457. Confugiam hinc: ita res suppetit subito [mihi]. ibid. 784. De ava capillo iam deripiam. ibid. 859. Ego hunc scelestum rapiam [iam] in ius exsulem. ibid. 936. nunc hanc [praedam] condam. Truc. 443. Iam ibo ex hoc loco, iubebo ad istam ... deferri. ibid 613. Verbum adde, iam hercle ego te offatim conficiam. ibid. 614. Iam hic ego ted agnum faciam et medium distruncabo. — Ex tanto exemplorum aut persimilium aut non ita dissimilium numero cum appareat simplicis futuri vim in hac re longe usitatissimam esse, non inepte quispiam concludat etiam in paucis illis exemplis Madvigianis eandem vim esse statuendam.

Secundum Madvigii genus versatur in exemplis in quibus 'futurum exactum' transfertur ad significandam rem non in altera inclusam, sed quae per se simul fieri possit; hoc genus frequens esse in particula 'eadem'. Exempla sunt: 11. 17. 48. 62. Cum quibus locis conferendi sunt hi: Bacch. 521. Eadem exorabo, Chrysalo, causa mea Pater ne noceat. Capt. 450. Eadem opera a praetore sumam syngraphum. ibid. 459. Eadem percontabor, ecqui hunc adulescentem noverit. Epid. 663. Eadem haec intus edo-

cebo, quae ego scio. Mil. 303. Eadem illi insidias dabo. Poen. 710. Eadem narrabo tibi res Spartiaticas. Stich. 438. Eadem sumbolam dabo et iubebo coqui. Liquet eandem rationem in *una opera, una, simul,* quaeque sunt alia synonyma, quae satis multa et ipsa cum futuro simplici componuntur, apparere.

Iam ad primum genus transeundum est, quod uno exemplo Plautino illustravit Madvigius. Quod exemplum ita explicari posse haudquaquam nego, sed nego aliter explicari non posse, praesertim cum Madvigius ipse adnotaverit, vix discrepare futurum exactum a futuro simplici idque exemplis luculenter demonstraverit. —

§ 5.

Quoniam factum est ut Madvigium secuti hic illic secundam et tertiam personam respexerimus, liceat alios quosdam earundem personarum locos addere, qui prorsus similiter videntur esse tractandi[1]). Maxume huc faciunt loci tales: *As. 280.* Eros in obsidione *linquet,* inimicum animos *auxerit. Pers. 393.* Si hoc adcurassis lepide, quoi rei operam damus, *Dabuntur* dotis tibi inde sescenti logei Atque Attici omnes; nullum Siculum *acceperis.* Praeterea commemorandi sunt loci hi: *Amph. 648.* Perii hercle. ille nunc intus turbat; hunc si amitto, hic *abierit. Bacch. 90.* Ille quidem hanc *abducet,* nullus tu *adfueris,* si non lubet. *Capt.*

1) Conferenda sunt quae Luebbertus l. s. s. p. 84. sqq. exposuit.

296. Haec tu eadem, si confiteri *vis,* tua e re *feceris* [1]). *Mil. 297.* Si falso *insimulas* Philocomasium, hoc *perieris. Mil. 1243.* Nam tu te vilem feceris, si te ultro *largiere. Most. 210.* Tu iam, quod quaeritas, habes, ille te nisi *amabit* ultro, Pro capite tuo quantum dedit, *perdiderit* tantum argenti. *Rud. 179.* Si ad saxum, quo *capessit,* ea deorsum *cadit,* Errationis *fecerit* compendium. *Trin. 279.* Feceris par tuis ceteris factis, Si patrem percoles. *Truc. 875.* Si *aufers,* a milite omnis tum spes animam *efflaverit.*

§ 6.

In eis quae ex posui me causidici rationem secutum esse non deerunt, qui contendant; non diffiteor rem ita se habere, nec quidquam demonstrasse me puto nisi hoc: M a d v i g i i r a t i o n e m h a u d q u a q u a m e s s e n e c e s s a r i a m, si quidem triginta quinque exempla meram futuri vim exhibere ipse statuit. Sed porro progrediendum esse puto et nego illam rationem vel p r o b a b i l e m esse. Proficiscamur ab enuntiato hoc: *Ego fecero.* Si scribimus '*iam ego fecero*' ex Madvigii doctrina aut celeritatis aut minationis aut promissionis vim habet; si scribimus '*interim hoc fecero*' animo observatur 'actionis intra temporis spatium conclusae finis et ulterius tempus'; si scribimus '*mox ego fecero*'

---

1) Quocum conferenda sunt haec: Curc. 664. Quid dotis? Egone? ut semper dum vivat me alat. Ultro hercle dico: me lubente feceris. Stich. 473. Promitte, certumst. Sic face inquam. Certa res. Lubente me hercle facies. Idem ego istuc scio. Amph. 847. Mulier, istam rem inquisitam certumst non amittere. Edepol me lubente facies. Quid ais? responde mihi.

vel '*post ego fecero*' dilatio quaedam conspicua est; denique si mutamus '*eadem ego fecero*', rursus alia res est. Illud tantum modo quaeritur unde haec quadripartita vis ducenda sit. Quam quidem ex ipsius verbi forma derivandam esse nullo modo adduci possum ut credam — quis enim sibi persuadebit eandem formam et celeritatem et dilationem, quod paene contrarium est, significare posse? — sed aut ex adverbiis illis proficiscitur aut ex totius enuntiati colore. Sic intellegimus cur eaedem particulae simplici futuro adiunctae eandam vim habeant.

Sed accedunt alia. Madvigius inde profectus est quod futurum exactum ab initio relativam vim habuisse statuit, quamvis argumento addito nullo. Atque comparantibus nobis futuri vim et futuri exacti vim relativam necesse est illam videri simpliciorem, hanc impeditiorem atque difficiliorem. Vix autem probabile est impeditiorem significationem esse antiquiorem, simpliciorem contra recentiorem. Probabilius certe alterum. Si Madvigium sequimur, cogimur credere ante Plautum relativam vim in futuro exacto fuisse, hanc Plauti temporibus paullatim obscuratam esse futuri significatione substituta, Ciceronis autem temporibus pristinam vim denuo esse redintegratam. Quanto simplicius est statuere, in his formis antiquam vim esse servatam, inde paullatim alteram esse ortam, quam principalem vulgo esse statuunt. Nam quantis artificiis Madvigius usus sit rectissime Hermannus his verbis significavit: 'Nimirum' inquit, 'ut dicam quod sentio: rem satis planam vir doctissimus nimium dividendo distinguendoque implicatam reddidit'.

Simul autem mentem subit alia meditatio. Si Pseuduli locum hunc (57) consideramus: *Lanios inde accersam . . .*

Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero, vix ullam differentiam indagamus inter utrumque futurum, nisi quod alterum in medio versu positum est, in fine alterum. Idem fit Stich. 351 (74): *Cape illas scopas.* GE. *Capiam.* PI. *Hoc egomet, tu hoc converre.* GE. *Ego fecero.* Adde: Merc. 546. (40) *Certumst: antiqua recolam et servibo mihi. Breve iam relicuomst vitae spatium: quin ego Voluptate vino amore id delectavero.* Re vera autem formae *fecero, sedero* et similes ultimam versus sedem praeter ceteras adamare inde apparet, quod in octoginta quinque locis, quos supra posui, sexaginta tres (1. 2. 4. 5. 9. 10. 12. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 26. 28. 29. 30. 31. 32. 35. 37. 38. 39. 40. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 50. 51. 53. 54. 57. 58. 59. 60. 62. 63. 65. 66. 67. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 76. 77. 78. 80. 81. 82. 83. 84. 85.) hanc formam in fine versus habent, et alii nonnulli ante caesuram similiter iudicandam. Cum autem saepius in hac sede versus et antiquae et rariores formae a poeta positae sint, ne hanc quidem rem casui tribuendam esse existimo. Immo rariorem futuri formam ita saepius servatam esse conicio, quae se ultro obtulit poetae versus claudenti [1]).

---

1) Conferenda sunt quae A. Spengelius in libro qui inscribitur: 'T. Maccius Plautus' p. 224. adnot. de infinitivis in 'ier' exeuntibus disputat: 'diese Infinitivformen finden sich, wenn der Endung 'ier' eine lange Sylbe vorhergeht, also in der ersten, zweiten und vierten Conjugation (lamentarier, commonerier, expedirier u. a.) und in denjenigen Verben der dritten Conjugation, wo eine lange Sylbe vorhergeht (pēndier, adscrībier, trādier u. a.) nur am Schluss des Verses und, was dasselbe ist, am Schluss der ersten Hälfte der asynartetischen Verse'. Quam rem p. 225 ita explicat: 'Der Grund dieser Erscheinung ist offenbar der, dass diese Infinitive, die fast alle Wörter von vielen Sylben sind, nicht in die übrigen Versfüsse passen, ohne dass dem Verse durch die Betonung der letzten Sylbe des Verbums (z. B. éxornariér) und beson-

Sed fateor me non ausurum fuisse contra Madvigii viri summi auctoritatem tantopere impugnare, nisi vidissem etiam recentiorum grammaticorum doctrinam eandem rationem non modo non dissuadere sed etiam commendare. Admodum enim probabilis mihi videtur sententia Brugmanni qui in quaestionibus morphologicis suis (vol. III. p. 16 s. 99.) docet,[1] primum *videro* esse antiquum aoristi coniunctivum itaque ut apud Homerum pro futuro poni posse. Ad huius autem formae analogiam factas esse formas *cepero*, *fecero*, *rapuero* etc. Quae sententia quantopere rationem supra propositam confirmet facile apparet.

---

ders auch durch die scharfe Absonderung der Sylben, welche in dem Iambus 'ier' zwischen Arsis und Thesis entstünde, alle Anmuth und Leichtigkeit genommen würde'. Praeterea conferenda sunt, quae Luchsius 'Quaestionum metricarum' p. 31 disserit: 'Apparet autem *siet* vocabuli eandem esse condicionem, quam ceterarum pleniorum formarum, praeter quas breviores quoque usurpat Plautus, velut: danunt (dant), duint (dent), fuam, (sim), creduam, creduim (credam), perduint (perdant) etc. Has enim formas et ipsas maximam partem in fine versuum occurrere constat'. Quibus addi possunt Brixii, Lorenzii, Ussingii adnotationes.

1) Cf. p. 27: 'Dass *vîderam totonderam* nicht Zusammensetzungen von *vîd-* und *totond-* mit dem imperfectum *eram* 'ich war' sind, ergibt sich, abgesehen davon, dass eine solche Composition in nachursprachlicher Zeit von vorn herein nicht denkbar ist, aus der Form des conjunctivs *vîdissem totondissem* und des infinitivs *vîdisse totondisse.* Diese beweist klar dass *vîderam vîderim vîdero* aus **vîdisam *vîdisim *vîdisô* hervorgegangen sind. (vgl. Schleicher Kuhn's Ztschr. VIII. 399, Corssen Beitr. zur ital. Sprachk. s. 513)'. Et p. 33: 'Wenn wir *vîderô* als den conjunctiv eines aorists betrachten, so wird diese Auffassung im besondern noch dadurch empfohlen, dass gewisse Functionen des futurum exactum sich mit der Function des conj. aor. im griechischen sehr nahe berühren oder geradezu decken' et alibi.

*

§ 7.

Non prorsus eadem ratio est enuntiatorum relativorum, condicionalium et quae sunt similia. Suspicor per haec transitum esse factum ad vim vere relativam. Sed omnia quae huc spectant peculiari dissertatione illustranda erunt: nunc satis habebo exempla nonnulla adscripsisse, ex quibus apparet, inde quoque meae sententiae argumenta peti posse.

Proficiscor ab his exemplis: Poen. 853. At ego ob hanc moram tibi reddam operam, *ubi voles, ubi iusseris*. As. 381. Etiam muttis? SO. Iam tacebo. NE. Quis tibi erust? SO. *Quem tu voles*. NE. Quid igitur? qui nunc vocare? SO. Nemo nisi *quem iusseris*. — Amph. 1048. Certumst, introrumpam in aedis: ubi quemque hominem *aspexero*, Sive ancillam, sive servom, si uxorem, si adulterum, si patrem, si avom *videbo*, eum obtruncabo in aedibus. (*sive uxorem sive* — *seu patrem sive* libri). Similis res est in his exemplis: Stich. 624. Quin si *iusseris*. Eo quoque ibo. As. 487. Tamen numquam hinc feres argenti nummum, nisi me Dare *iusserit* Demaenetus. Curc. 707. Iamiam faciam ut *iusseris*. Men. 153. Oculum ecfodito persolum Mihi, Menaechme, si ullum verbum faxo, nisi quod *iusseris*: quae comparanda sunt cum hisce: Bacch. 729. Quod *iubebo*, scribito istic. Trin. 1184. Ego ducam, pater, Et eam et siquam aliam *iubebis*. Truc. 911. Tuo arbitratu quod *iubebis* dabitur. Rud. 1134. Quid iurem? GR. Quod *iubebo*. — Most. 192. Di deaeque me omnes pessumis exemplis interficiant, *Nisi* ego illam anum *interfecero* siti fameque atque algu: quocum cf. Persa 292. Di deaeque me omnes perdant *Nisi* te hodie, si prehendero, *defigam* in

terram. Trin. 463 sp. Oculum ego ecfodiam tibi, si verbum *addideris*. Rud. 1401. Vapulabis, verbum si *addes* unum. —

Aliter comparata, quamquam hinc non aliena, sunt haec exempla: Poen. 907. Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas *abduxerit*. Trin. 371. An eo egestatem ei tolerabis, si quid ab illo *acceperis?* Cas. 284. Credo hercle hodie devotabit sortis si *attigerit*. Mil. 306. Nunc si indicium facio, interii, si taceo interii tamen, Si hoc palam *fuerit*. Cas. 846. Verum qui non manibus clare, quantum poterit, *plauserit*, Ei pro scorto supponetur ircus unctus nautea. Trin. 423. Pater quom peregre veniet, in portast locus: Nisi forte in ventrem filio *conrepserit*.

In plerisque horum exemplorum fieri vix potest, ut de relativa futuri exacti vi cogites, cum aut aoristi coniunctivi aut simplicis futuri vis postuletur. Sed totam hanc quaestionem accuratius tractandam esse intellexi.

Index capitulorum.

§ 1. Colliguntur exempla futuri exacti in enuntiatis primariis, ita ut maxime prima persona respiciatur: p. 3—9.
§ 2. Exponitur Madvigii explicandi ratio: p. 10—12.
§ 3. Docetur quid alii viri docti de eadem re sentiant: p. 12—15.
§ 4. Demonstratur Madvigii rationem non esse necessariam: p. 15—21.
§ 5. Exempla secundae et tertiae personae colliguntur: p. 21. 22.
§ 6. Demonstratur Madvigii rationem etiam improbabilem esse: p. 22—25.
§ 7. Paucis disputatur de enuntiatis secundariis: p. 26—27.

